



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Cupiditates & affectiones indomitæ, sunt monstra Herculis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

His jacet horrendum Tiberino gurgite monstrum:  
Hac cælum cervice tuli. Defessa jubendo  
Sæva Jovis conjux: ego sum indefessus agendo.

Qui Herculis facinora ad historiam revocant, dicunt eum ætatis suæ  
auctem præstantissimum fuisse, magnasque ductasse copias: quidquid ter-  
rarum Oceano cingitur, peragrâsse: sustulisse tyrannos, quotquot erant  
graves, & subjectis intolerabiles; aut si qua civitas injuriosè finitimas di-  
tiones infestaret, inmani assueta victui, aut hospitem nefariis gaudens cæ-  
tionibus. Pro quibus legitima regna, moderatasque respublicas constituit,  
& in vitam, humanos induxit mores, ac sociabiles. Adhæc cum Græcis  
juxta versatus est ac barbaris, cum maritimis, atque mediterraneis: quibus  
antea malè conveniebat per infida commercia; & in desertis terris urbes  
condidit, fluminæque avertit, campos inundantia; vias aperuit in diffi-  
cilibus ascensu montibus; nihil non molitus, ut mare & terra quàm la-  
tissimè paterent cunctorum usibus mortalium. Hæc Dionys. lib. 1.

### Ethica.

I. (d) Si moralem sensum spectemus, quid aliud sunt tot monstra  
domita, & exterminata, quàm pravæ concupiscentiæ sub jugum rationis  
missæ, & varia animi vitia expugnata? Nam quòd Hercules etiamnum  
infans cunabula sua virtute illustravit, geminos serpentes suffocando,  
quid aliud innuitur, quàm indolis bonæ radios jam in prima ætatis aurora  
elucescere? *segullum* est terræ genus in summo solo, ex quo metallarii co-  
gnoscunt subesse venam auri: quare visis his signis perfodiunt terram,  
& latens aurum eruunt. Pari ratione pueritia dat specimina futuræ pro-  
bitatis vel improbitatis. Ovidius canit:

Ingenium cœleste suis velocius annis  
Surgit, & ingrata fert mala damna moræ.

Et illud alterius Poëtæ:

----- Virtus non postulat annos.

II. (e) Hercules ab anguibus ad Hydram, seu Draconem, gradum  
pugnando & vincendo fecit. Quæ bellua quid aliud est, quàm vel *Invi-*  
*dia*, quæ superanda, ad virtutem grassanti; vel plebis opinio & obtrecta-  
tio, utique viro forti & sapienti contemnenda. Utrumque expressit Ho-  
ratius. De Invidia in Epistolis ait:

N n 3

---- Diram

(d) Cupiditates indomita sunt monstra Herculeæ. (e) Hydra Lerna est invidia,  
plebs capiosa, & 7. vitia capitalia.